



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**


**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LX. Christus per omnem vitam pauper, sed in cruce pauperrimus fuit, und summum est pauperum ac miserorum solatium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



# CONSIDERATO LX.

Christus per omnem vitam pauper, sed  
in cruce pauperrimus, summum pauperum ac  
miserorum solatium.

*Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam  
propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius  
inopiâ vos divites essetis. 2. Cor. 8. 9.*

1.

**D**avid iram & horrendam Saulis persecutionem declinaturus,  
coactus est de matura sibi prospicere fuga; proinde ad deser-  
tum se contulit, ubi in spelunca petrosa, ac in horrido antro  
dimorari cœpit: *Abit ergo David inde, & fugit in speluncam Odol-1. Reg. 22. 1*  
*lam.* Et quia hoc experti sunt amici ejus, miseri, calamitati-  
bus, doloribus ac debitis pressi alienis, ad eum, tanquam ad principem  
tribulatorum confugiebant, ut ab eo in tempore illo calamitoso non  
tam acciperent solamen, quàm & juvamen: *Et convenerunt ad eum om-*  
*nes, qui erant in angustia constituti, & oppressi are alieno, & amaro animo, &*  
*factus est eorum princeps.*

David hic in sensu allegorico representavit Christum, prout af-  
ferit Cornelius, qui per omnem vitam usque ad mortem crucis affi-  
duas passus est persecutiones ac tribulationes. Ad eum ergo, tanquam  
ad principem suum, convenire debent omnes pauperuli, miseri ac  
desolati, debitoque alieno vel proprio peccatorum pressi, ut ab eo in  
cruce pendente recipiant optatum levamen: *Tibi enim, subintrat hic*  
*idem Vates Regius, derelictus est pauper: Orphano tu eris adjutor.* Psal. 10. 14.

2. Consideremus attentiore mente crucifixi Salvatoris nostri pau-  
pertatem verè miserandam. 1. Nasci voluit brumali tempore non in  
proprio diverforio, aut in urbe, sed in abjectissimo stabulo, quem Sa-  
cratissima Virgo & Mater non aureis, sed pauperulis involvit panni- Luc. 2. 7.  
culis, atque in præsepio inter duo jumenta reclinavit. En summam  
pientif-

Ff 2

pientif-



pientissimi Redemptoris tui egestatem. 2. Ubi in templo Patri coelesti presentatus est, non agnum (munus divitum) obtulit, sed duos pullos columbarum, aut turturum, quos pauperes ob inopiam solebant offerre. 3. In Aegypto gladium Herodis fugiens, & per omnem reliquam vitam non habuit; ubi caput reclinaret, quod ipse hincce verbis indicare dignatus est: *Vulpes foveas habent: volucres caeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* O duram pauperiem! 4. Quando veniens Capharnaum solvere tributum à ministris Caesarianis iussus est, nullum siclum imò nec obulum habuit quem expenderet; hinc Petrum misit, ut per miraculum à pisce necessariam acciperet monetam: *Illum sumens da eis pro me & te.* 5. In deserto jejunans, ac tandem post 40. dies panem esuriens, nullam habuit buccellam, quã se reficeret, sed opus erat, ut Angeli venirent, & ministrarent ei: *Tunc reliquit eum diabolus: Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* 6. In monte Olivario in illo sanguineo ac mœstissimo sudore nec scrutum linteum habebat, quo cruentas abstergeret guttas ac lacrymas, sed accessit ad eum Angelus, in hac summa paupertate & arumna confortans eum, cujus divinum, in quem desiderant Angeli prospicere, linteolo vultum absterfit, quod etiamnum in monte Sancto Andecensi in superiore Bavaria sanguineis guttis inspersum religiosè asservatur.

3. Vidisti hactenus, anime mi, extremam benignissimi Servatoris tui pauperiem. Sed quid in cruce? Ecce hic omnium mortalium pauperrimus factus est ille, qui dat escam omni carni, ille qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, ille cujus sunt omnes fines terræ, nudus tanquam novissimus virorum, & toto corpore faucius in infami crucis patibulo inter latrones affigi voluit; pauperulas vestes inter carnifices divisit, & ardentissimam sitim patiens non aquã, sed aceto felle mixto sedare debuit, ac denique mortuus syndonem non habuit, quã operiretur, sed homo alienus misericordiam motus, eam obtulit ad sepeliendum, ubi in alieno sepulchro voluit tumulari, quia proprium non habuit. O caeli obstupescite: *Omnes, inquit Petrus Blesensis, revolvite vitam Salvatoris ab utero Virginis usque ad patibulum crucis, & non invenietis in eo nisi stigmata paupertatis.* O pauperculi!

Petr. Bles.  
 serm. Purif.  
 B. V.

1. Reg. 22: 2. *o deosolati! quid agitis? erigite vos in spem; Ad Davidem convenerunt omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi aere alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.* Ecce Principem vestrum pendentem in cruce, accedite ad eum cum omni fiducia, quia factus est Dominus refugium pauperi: *adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

Psal. 9. 10.

4. De Job perhibent Sacrae litteræ, quòd post tantam omnium bonorum ac facultatum jacturam sua sciderit vestimenta: *Tunc surrexit*

Job,



Job, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adoravit. An Job. 1. 20,  
 fortasse Job ex aliqua impatientia aut indignatione, vel ex nimio corporis & animi dolore sua conscidit vestimenta? Minimè gentium, quia voluntati divinæ sese in omnibus semper exactissimè in omni fortuna confirmavit: Quare ergo sua dilaceravit vestimenta?

R. Olympiodorus in catena, quia Job totum infernum contra se armatum vidit, unde se ad pugnam cum orco ineundam paravit, & omnibus vestimentis se exuit, ut ad præliandum paratior ac promptior inveniretur; audi ipsum loquentem: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc &c.* En pulcherrimum typum in Christo patiente adimpletum, qui pariter nudus, & omnibus exutus vestibus in cruce pendens cum diabolo decertare voluit, quem & vicit ac debellavit, nobis præbens exemplum, quomodo nudi & pauperes spiritu esse debeamus, ne in hac pugna cum diabolo succumbamus: *Qui ergo, ait S. Gregorius, contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abijciat, ne succumbat, hoc est terrena omnia ac sæcularia desideria, paupertas enim est validissima adversus dæmonem armatura.*

5. Vis exempla, quomodo oculi crucifixi Jesu respiciant in pauperem: *Oculi ejus in pauperem respiciunt?* Audi, & admirare. Drepani in Sicilia imago Crucifixi Domini etiamnum hodie summâ veneratione asservatur & colitur; ad quem anno à partu virgineo 1641. Mulier quædam supremâ egestate pressa filium suum parvulum importunè in fame panem à se petentem submisit, cum mandato, ut ab hoc crucifixo orbis Servatore, quem digito ostendebat, panem & vitæ remedia flagitaret; ibat misellus, & ad Crucifixum teneras levans manus, lacrymabili voce dixit: *Domine, da mihi panem, mater mea mittit me, ut panem à te petam.* Quid hic expectas, Lector prudens & amator Crucifixi? En insolitum prodigium! mox mitissimus Salvator è cruce brachium resolvit, & parvulo filiolo recentem ac candidissimum panem in sinum projecit. Quis lætior hoc misello? Qui sine mora ad egen-tem matrem cucurrit, & cum gaudîo panem nive candidiorem monstravit. Res interim in vulgus propalatur, admirantur omnes; Et ecce dum turmatim ad templum accurrunt, in veritatis testimonium Crucifixi brachium à ligno crucis revulsam inveniunt, quod in hodiernum usque diem ita liberum conspicitur; quæ res illius loci Episcopum movit, ut matri & filio de sufficienti annona usque ad dies vitæ liberaliter prospiceret. Vide hic, anime mi, quomodo verificatum sit illud Regii Vatis: *Videant pauperes, & latentur.* Et quid videant? Dominum suum ac amorem suum in cruce ut pauperrimum ac novissimum

Psal. 10. 5.  
 Hadr. Lyreus  
 de Christ. 1. 1. c.  
 fol. 316.

Psal. 68. 33



virorum morientem, ex cuius meditatione se ipsos animare possunt præsertim illi, qui pro Christo facti sunt pauperes.

Anton. Ba-  
linghem in  
Kalend. B. V.  
8. Sept.

6. S. Thomas à villa nova pauper Religiosus ex Ordine S. Augustini, sed pauperior exinde factus Episcopus semper per omnem vitam refugium suum ad crucifixum Dominum suum habuit, & invenit; & quia ex amore illius, qui propter nos egenus factus est, omnia sua pauperibus distribuit, horreum illius frumento penitus vacuum derepente divinitus plenum inventum est. Anno Domini 1555. in festo Purificationis B. V. M. pro more suo ad crucifixum Amorem suum venit, afflictus & desolatus propter Episcopale munus, quia sibi summopere timebat, ne excluderetur à numero Beatorum, quia fuisset de numero Prælatorum; unde humi prostratus non sine lacrymis orabat: *O Jesu! Domine mi, & sapiens Gubernator: si non esses meus Deus, dicerem equidem quod malè mecum ageres, permittendo me ita vexari à meis subditis diæsanis, apud quos post meam consecrationem jucundum diem nullum habui. Sed volo mi Domine, quod tu: fiat voluntas tua.* Ad quem Crucifixus clara voce: *Æquo animo esto, mi Thoma, in die nativitatis Matris meæ venies ad me; Quod & factum est.* Cæterum os Crucifixi loquentis, quod prius clausum erat, deinceps semper apertum permansit, & ita in hodiernum diem conspicitur dentibus nudis tam perfecte ad vivum apparentibus, ut peritissimi Sculptores fateantur, quòd nullo artificio humano quid simile fieri potuisset.

Max. Sand.  
in Stauroph.  
lib. 17. Tit. 7.

7. Finem huic Considerationi imponat B. Joannes Chisus frater laicus ex eodem S. Augustini Ordine, homo simplex & pauperculus. Hic, inquam, cum vestem non haberet nisi tunicam à pedibus usque ad caput tritam ac laceram, pro more suo ad crucifixum accessit, coram quo humiliter prostratus flagitavit Dominum, ut suæ dignaretur succurrere indigentia. Et ecce illo adhuc orante, ad latus ejus adfuit vir quidam ore, vultu, ac toto corporis habitu venerabilis, qui eum hisce verbis allocutus est: *Accipe Frater à me hos paucos nummos pro illius, quem colis, amore, in tuum usum ac necessitatem, deditque illi tres aureos, & mox evanuit ex oculis ejus.* Obiit hic Beatus Anno Christi

Matth. 5. 3.

1369. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum caelorum.*



CON-